



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Ioannis Cochläei De Actis Et Scriptis Martini Lvtheri Saxonis

Cochlaeus, Johannes

Parisiis, 1565

Acta & scripta Lutheri, Anno Domini M. D. XXXVI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29789

à Dauide, nec duorum seniorum libido & calumnia aduersus Sufannam, certius aut apertius à Daniele conuicta videri queat. Quomodo igitur timeant enim Docti Theologi, cui sic vellicat barbam, frontemque ferit atque confundit simplex Laicus? Titulus autem, quem Laicus ille posuit, sic habet. Tabula, cunctis, qui à Luthero seduci nolunt, utilis & necessaria.

*Acta & scripta Lutheri,
Anno Domini
M. D. XXXVI.*

*Ficta inter
Luthe. &
Zuing. con-
cordia.*

VM haecenus propter diurnam contentionem, quæ erat inter Lutheranos & Zuingianos, male audirent Concionatores vtriusque partis: cæperunt rursus inter se de concordia agere, sicut antea fecerant Marpurgi, quando Zuinglius adhuc vivebat. Missi sunt itaque ex Ciuitatibus Imperij Zuinglianis, vt pote, ex Argentina Caprio & Bucerus, ex Augusta Bonifacius & Mulschius, ex Vlma Frechus &c. Vuittenbergam ad Lutheranos, vt cum eis concordarent. Egerunt autem præcipue de Baptismo, de Eucharistia & de Pœnitentia, & post multas exprobrationes & querelas inuicem dictas, conscripserunt formulam concordie, sed inefficacem: quia propter aliorum absentiam, & sine suorum Magistratum consensu, concludere non audebant.

videbant. In reditu igitur suo scripserunt acta
 illius tractatus, dum Francofordiæ subsisterent, *Prognosticon*
 sed ea in lucem ædere timuerunt. Cochläus *Iuliani de fia*
 autem euulgauit Tres libros Diui Iuliani, Ar- *turo seculo.*
 chiepiscopi quondam Toletani. Quorum ti-
 tulus est, Prognosticon futuri sæculi. Reperit
 autem eos in Monasterio veteris Cella, quod
 in terra Misnensi percelebre est. Ac ea potissi-
 mum ratione in lucem ædidi, quod multa cõ-
 plectuntur, quibus multi nouarum sectarum
 errores refelli queant: ij præsertim, quos de
 mortuorum sepulturis exequiisque, & de ani-
 marum statu post mortem, ac de purgatorio
 igne, barbaricis contumeliis & abnegationi-
 bus in simplicem plebem dispergunt. Aedi- *Epistola Nõ*
 dit item antiquam & insignem epistolam papæ *colai I. ad*
 Nicolai I. ad Michaellem Imperatorem Con- *Michaellem*
 stantinopolitanum olim scriptam, cuius præ- *Imp.*
 tæque fragmenta in Decretorum volumine à
 Gratiano recitata sunt. Quam reperit Colo-
 niæ in Monasterio Tuitienti. Adiunxit autem
 multa eiusdem Nicolai I. Decreta & rescripta,
 quæ sparsim à Gratiano cæteris interposita cer-
 nuntur, & distribuit ea in XX. Titulos. Addi-
 dit quoque historiam de Rege Lothario, ex Re-
 ginone & Sigeberto breuiter commemora-
 tam, qui à Nicolao I. excommunicatus fuit,
 propter eiectam vxorem, aliamque per falsos
 testes ac iudices superinductam: Vt Rex An-
 gliæ, Henricus VIII. inde cognosceret, quàm
 nequiter seductus sit contra vxorem suam san-

*Contra Re-
gis Angliæ
diuortium.*

ctissimam, quæ Cæsaris nostri Generosissima
fuit Matertera. Ait igitur ad eum in præfatio-
ne sic. Fama deceptus, volui sublimitatem tuam
in bono proposito (quod mendax ad me fama
de recõciliata tibi coniuge tua sanctissima per-
ferebat) per scripturas & rationes confirmare,
eo libello, quem ad Paulum III. Pont. Max.
de Matrimonio tuo ædidi. Erraui quidem, quan-
tum ad factum tuum attinet: Quantum veto
ad iuris æquitatem causæque statum & firma-
mentum spectat, non pœnitet neque pudet me
illius laboris. Quamuis acceperim, te ob id pa-
rum clementi in me esse animo: Vt cunque res
mihi cadat, non libet mihi veritatem, ab adule-
toribus tuis per Galliam & Italiam auro ille-
ctis oppugnatam, & in Anglia vi fructuque ac-
cordium immanitate oppressam: aut delerere
metu mortis, aut dissimulando prodere &c.

*Contra adu-
latores Regis
Angliæ.*

Adiecit prætetea Defensionem pro Rossensi
& Moro, contra Richardum Samsonem An-
glum, qui Regis facta impudenter laudans, opti-
morum virorum pietatem & constantiam im-
pie reprehendebat, Vbi inter cætera sic ait. Cer-
tum est, Regi vestro nunquam nocentiores fuis-
se hostes, quam vos estis, qui ex grauissimis da-
nis eius, opes ac dignitates quæritis vobis, om-
nemque partam gloriam eius, in ignominiam
sempiternam conuertitis, vt vere possit nunc ei
illud Esaiæ dici. Argentum tuum versum est in
scoriam. Quid enim profert ipse nunc in suis
Edictis, quid noui filij eius Episcopi in suis
datis,

dati, quid vos adultores, in Defensorijs libellis, contra Ro. Pont. aditis. quod clarissime per propria Regis vestri verba, quæ protulit contra Lutherum olim (antequam vestris fuisset effascinatus & excæcatus assentationibus) in libro vno de Sacramentis Ecclesiæ, & in Epistolis duabus (quarum vnam ad Duces Saxoniz, alteram ad ipsum Lutherum scripsit) reprobari, confutari ac redargui non possit? Ego hic, breuitatis gratia, ex tuo duntaxat libello, quem Orationem vocas, pauca referam, ex quibus intelligatis confusionem vestram maximam &c.

*Acta & scripta Lutheri,
Anno Domini
M. D. XXXVII.*

Romanus Pontifex Paulus III. indixit hoc anno Generale Concilium, Mantuzæ celebrandum, Ad quod Lutheranae quoque Principes vocauit. Quod ubi intellexerunt Lutherus & complices eius, variis machinationibus ac scriptis Concilij autoritatem impugnare cœperunt. Etenim Vuittenberge euulgauerunt XXX. propositiones, contra Concilia publice disputandas. Inter quas Duodecima sic habet. Ideo Concilium aut Episcopi congregati, errare possunt, æque bene sicut alij homines. Et Sequens hanc ita ait. Si autem non errent, hoc fit à casu,

30. propositiones Luth. contra Concilia.